

blicam spectant, sapienter deliberare, consiliorum exitus praevidere, dubiisque ac periculosis eventis providè occurrere noverat. Quamvis enim naturali quadam propensione corroborata, sordidissimi inquinatissimi apud nos moris odio, Magistratus non nisi per sordes ineundi, ab omni ambitione, vitæque fulgore, nisi quem Virtus emitteret, alienissimus vixerit, ita ut honores & Magistratus, vel ultrò delatos respuerit; juvanda tamen patriæ desiderio, cujus amore mirum in modum exarsit, eos quos sua fors clavo Reipublicæ admoverat excitando, commonendo, suggerendo quæ vel ab Antiquis, paribus in negotiis, probata fuerant, vel ipse, ut erat peracri solidissimoque judicio, quæ facienda judicabat. Toto vitæ suæ curriculo privatus negotium publicum, & absque chlamyde vel prætexta perpetuum Magistratum gessit. Quantum denique ab illa morum integritate atque innocentia, inflexoque per omnes vitæ partes probitatis tenore: quibus virtutibus consecutus est, ut, non solum Togatorum doctissimus, sed & prudentissimus Jurisconsultus, Civis optimus ac planè Vir bonus audiret, qualem vel Fimbria noverat vel Socrates. Atque hæc est notissima sint, eò tamen libentius commemoro, ut, cum non nisi jucundissima virtutum amici Viri recordatio esse queat, tum etiam in primis qui in supremum ejus elogium inciderint, quod inter defuncti schedia repertum amici publicarunt, persuasum sibi habeant pari modestia & veritate scriptum illud esse, quæ Vir modestissimus ab omni furo ac vanitate quàm maximè alienus: & qui ἀρχὴν μεγάλης ἀρετῆς ἀλλοθίαν duceret; in reliquis rebus totà vitæ usus est: in qua certò illi hoc felicissimè contigit, ut in publicandis Beati Hilarii Pictavenis Provinciæ Aquitanicæ Episcopi ex opere Historico fragmentis, eximii Antiquitatis monumentis fato interceptus, præclarè actam vitæ fabulam illustriore sine veluti Cygnæ cantione conclusit. Quamvis sanè difficillimum fuerit Virum ingenii animique bonis omnibus ornatissimum, qui semper illud antiqui Poætæ sibi occinens, καὶ μὴτε πανοικιμεστὴ ἐνδώντες θοοτῆς, omne studium, laborem, industriam, omnesque cogitationes suas publicis utilitatibus devoverat atque impendebat, non in opere præclaro morte deprehendi. Providentiæ opus esse mihi persuadeo, ut hæc fragmenta turbulentiſſimis temporibus maximè lucem recuperarint, per quæ ad ejusmodi considerationem Historiæ excitati, spem certam ex ejus cognitione concipiamus, quotiescumque scelerum nostrorum nos benè atque ex animo poeniterit, Divinam manum non mutilam aut decurtatam experturos, eundemque Dominum periclitanti Apostolorum naviculæ tranquillitatem solidam ac firmam redditurum. Quapropter, ut Divinæ Majestati pro hac eximia sui numinis in nos benignitate nunquam pro meritis dignas agere gratias vel animo concipere possumus; ita etiam piis optimi Viri & de genere humano benè meriti Pithœi nostri Manibus, cui nos præclara Antiquitatis monumenta debere summa illa Majestas voluit, parem gratiam referre vix ac ne vix quidem valeamus.

## EX LIBRO CXVI. HISTOR. V. C. JAC. AUG. THUANI.

CIC. 12.  
XCVI.

**A**MICO [FLORENTI CHRISTIANO] arcta mecum necessitudine conjuncto, qui inscripta mihi ipsius quædam ad æternitatem victura monumenta testantur, alterum uberibus lachrymis deflendum cogor adungere Petrum Pithœum, Augustobonæ Tricastium natum, familia nobili ex inferiore Neustria oriundum, Virum nostra ætate maximum, sive probitatem morum, & veram nec fucata pietatem, sive ingenium excellens, exactamque & omnium rerum, quas perspectas habuit, habuit autem plusquam alius quisquam multis retrò seculis, reconditam cognitionem, & tum in suis, tum in alienis cernendis acie & ab omni livore purum judicium spectes. Cum enim sic vitam institisset, ut commoda publica ubique propriis negotiis præverteret, toto laudatissimæ ejus vitæ decurso spatio in literarum studiis sic versatus est, ut assidue exquirendo & scrutando Bibliothecas, Antiquorum scripta vel à mendis, vel ab interitu vindicaret, vel alios, quos in ea re aliquid posse judicabat, exhortando, impellendo atque juvando nullo tempore non aliquid moveret, ac promoveret; sub ipsum vitæ exitum B. Hilarii fragmentis Historicis & Phædri famosi illius sub Tiberio liberti Fabulis publicatis. Et ut alia in illum meritò à Nicolao Fabro individuo vitæ & studiorum Pithœi comite cumlata elogia non fileam, nemo melius unum quempiam Autorem novit, quam ipse omnes antiquos utriusque linguæ Scriptores, quos ad unum legerat, ad vetera contulerat exemplaria, & concoxerat. Nemo privata & domestica negotia exactius tenuit, quam ipse Gallicam externamque historiam, origines populorum, descriptiones temporum, successiones familiarum, bella, foedera, conventiones, vel exterorum inter se vel nobiscum gesta; leges, mores, consuetudines provinciarum singularumve urbium: quarum omnium rerum à teneris armis indefesso labore sibi perfectam notitiam tum ex vulgatis libris, tum etiam ex Bibliothecis antiquis, Archivis Regiis, Senatûs, Rationalium, Urbium, Monasteriorum comparaverat, instrumentorumque ipsorum atque actorum bonam partem propria manu descriperat. In Jure autem Civili Romanorum ad illud fastigium pervenerat, ut de eo celeberrimoque ejus præceptore Jacobo Cujacio dici jure potuerit, hunc discipulo præripuisse ne primus Jurisconsultus esset; illum præceptori, ne solus. Verum hæc omnia, quæ in quovis homine singula magna Virum & cum cura dicendum efficiunt, in Pithœo coacervata eundem ad summum laudis culmen evehebant. Quantula portio sunt illius sapientiæ, quam ingenii judicijque felicitate ex rerum cognitione, assidua lectione atque usu comparata, velut ex Antiquorum omnium inventis, qui sapientiæ commendatione floruerunt, constat sibi quæſiverat? Quantum à Civili prudentia absunt, quæ præditus ille non solum de privatis rebus & fori maxima cum facilitate & æquitate respondere ac statuere, sed etiam de iis, quæ ad summam Rempublicam spectant, sapienter deliberare, consiliorum exitus prospicere, dubiis ac periculosis eventis providè occurrere

noverat? Nam quamvis ab omni ambitione vitæque fulgore, nisi quem Virtus emitteret, alienissimus vixerit, & honores ac Magistratus vel ultrò delatos semper respuerit; tamen patriæ juvanda desiderio, quo ultra modum flagrabat, eos, quos sua fors clavo admoverat, assidue excitabat, aut commonefaciebat, suggerebátque quæ vel ab Antiquis, paribus in negotiis, probata fuerant, vel ipse ut erat peracri ac solidissimo judicio, facienda existimabat. Nec illi temerè quidquam magni momenti aggrediebantur, de quo non antè Pithœum consulissent, ita ut privatus publicum negotium & absque chlamyde ac prætexta perpetuum Magistratum gessisse videatur; innocentia atque inflexo per omnes vitæ partes probitatis tenore id prætereā consecutus, ut non solum Togatorum doctissimus, sed & prudentissimus Jurisconsultus, Civis optimus ac planè Vir bonus audiret. Præter innumera Veterum scripta è tenebris, dum inter nos degeret, primùm eruta, aut meliora publico data, moriens reliquit Conciliorum Gallicorum diligenter conquistorum ac digestorum Collectionem, Francisci fratris viri doctissimi fidei, ut ederet, commissam: quod ut faciat, assidue precibus quotidie efflagitur, & verò facturum eum propediem speramus. Vixit annos LVII. ad æternam beatitudinem evolavit Novigenti ad Sequanam, quò se, grassante Augustobonæ Tricastium per illum Autumnum populari morbo, contulerat, Kal. Novembribus natali suo: quo eodem die parens meus ante XIV. annos obiit, quem Pithœus & vivum coluit, & mortuum in me porrò colere non desit; ita ut incomparabilis amici morte, quicum partiri curas, & non solum de studiis, sed etiam de Rep. consilia communicare consueveram, ceptæ Historiæ pensum protinè è manibus excusserim, abjecissemque prorsus, nisi tanti Viri, & de me ac patria tam benè meriti memoriæ hoc debere existimassem, ut quod illo autore inchoaveram ad publicam utilitatem, cui nostram in ea parte industriam prodesse olim posse judicabat, quamvis tanto adjutore destitutus, aliis undecumque, quæ ab illo solo ab initio speraveram, conquistis subsidiis ad exitum tandem perducerem.

## EX VITA NICOLAI FABRI A FRANCISCO BALBO.

**I**Taque arctissimam cum magno illo P. Pithœo vitæ societatem iniiit, ab eoque peramanter exceptus, gemini dein Musarum ocelli, quasi Fratres, sub eodem tecto complures annos transegerunt.

## EX LIBRO IV. ELOGIORUM SÆVOLE SAMMARTHANI.

## P E T R U S P I T H O E U S.

**I**N urbe Tricastium nati sunt patre nobili & erudito Pithœi duo Fratres omnibus disciplinis ornatissimi, nec immeritò geminis Tyndaridis à compluribus hujus ævi Scriptoribus adæquati. Quod enim illi suo sidere nautis in mari fulcando, id isti literarum studiosis in antiquitate pervestiganda Divino doctrinæ suæ lumine præclarissimè præstitere. Nec id ipsum porrò præstare desinit Franciscus natu minor, quem hodièque videmus inter insignes Parisiensis fori Jurisconsultos meritò multiplicis eruditionis famâ celeberrimè perfruente. Te verò, Petre doctissime, quem iniqua nobis nequedum satis matura mors eripuit, lugemus omnes Musarum amantes viri: & eò lugemus acerbius, quò pauciores tui similes reliqueris in hæc ultima rei literariæ tempora reservatos. Quantum verò in his studiis emineres unus & excelleres docuere suis certatim elogiis, cum alii ferè omnes hujus ætatis eruditi, tum illa potissimum duo Gallicæ nostræ fidera Turnebus & Cujacius præceptores quondam tui: quorum cum uterque suis in libris frequentem & honorificam de te mentionem fecerit, hic insuper te juvenem senex, discipulum magister, in dirimendis cum æmulo controversiis arbitrum sibi optare minimè dubitavit. Quamquam aliena tibi commendatione quid opus est, cum & tuis ipse Scriptis, quibus Historici, Critici, Jurisconsulti, Philosophi laudem es meritis, & plurimis Veterum monumentis, quæ suppressa in tenebris latebant, per te primùm excitatis ac publicatis nomen abundè illustraveris tuum, & memoriæ mandaveris hominum sempiternæ? Sed neque tibi dum hic ageres dulcissimus ille defuit, qui vivos & sentientes magis afficit præsentis gloriæ fructus, dum incredibili clientium concursu divina Themidis oracula quotidie depromis, eâ doctrinæ pariter & sanctitatis admiratione, ut Henricus III. missis in Aquitaniam aliquot Patribus qui Jus dicerent, his te simul & Oiselum tuum doctissimum quoque virum legationis comites addiderit, qui sua & Reipublicæ gravissima negotia fusciperetis in illo Senatu pro singulari vestra diligentia & fide, procuranda. Quid loquar de incomparabili morum suavitate, facilitate, candore, modestiâ, & indefesso illo, quo mortales omnes anteibas, de bonis omnibus benè merendi studio? Itaque dum tui memoriæ Boni omnes vicissim colunt, aliique lugubribus tibi parentant naniis, alii vitam tuam & honestissimas actiones pedestri facundia describunt; accipe has etiam inferias & suprema veteris amici munera, quæ & nos tibi offerimus, ne soli tanto è numero simus in eum ingrati, quò nemo vixit omnibus gratior, nemo in omnes benignior. Fato sanctus est Petrus Pithœus Nongenti ad Sequanam ex febre, septem & quinquaginta natus annos, Kalend. Novemb. die suo natali, biennio postquam ejus magna ex parte consilio & operâ delusis Ibericæ factionis artibus Lutetia regni caput in legitimi Regis potestatem pervenit.